



IN SCHOLA THOMANA  
ORATIONE VI

HORATIUM  
AVERTENS

PATRIBUS ET PATRIBUS

IN

MAGISTRUM RICHARDUM

ET NOTAS

EX PICTURIS MUSEI VINDOBENSIS

TRIBUIT

M. JO. LUDWIGUS VINDOBENSIS

1751

EX OFFICINA JOHANNIS

**E**tsi vix ullum nomen reperitur, quo crebrius aures nostræ per-  
sonent, quam nomen Musarum, seu poetarum recitationibus ad-  
simus, seu in aliorum literatorum circulos veniamus: de Musis  
tamen quaecunque traduntur, tantam obscuritatem dubitationemque ad-  
ferunt, ut eam, quicquid et quantum est mythicorum, discutere nequeat.  
Sive enim ad numerum Musarum mentem convertas, sive ad nomina earum,  
sive ad natales et genus, sive ad inventa et munera, sive denique ad vitam  
moresque: sententias veterum auctorum tam dissidentes esse, tam varias,  
animadvertes, ut, quid probes, quem tanquam ducem sequare, cui assen-  
tiare, vix reperias.

Cicero quidem quatuor Musas numerat, Varro autem non nisi tres:  
est etiam, qui duas duntaxat; sed novem Musas esse, a novem earum in-  
ventis dictas, vulgatio opinio est, quae constat ex antiquissimis et Roma-  
norum et Gracorum literis monumentisque. Verum, quodnam inven-  
tum ad quamque Musarum tanquam auctorem referendum sit, quam quae-  
que earum artem profiteatur, ex qua quaeque nota et velut insigni a-  
gnosci possit, et a ceteris discerni; hoc vero propter summam auctorum  
dissensionem difficillimum dictu est. Ut enim unius eiusdemque artis  
Musae plures feruntur auctores; ita una eademque Musa plura munera  
in hominum vitam contulisse, una eademque plures, et eas artes, quae  
aliarum putantur propriae, tractasse, et ita quasi in aliarum possessiones  
irruisse perhibetur. Dic Thalam lyrae aut citharae inventricem: adde,  
auctoritatem Nasonis te sequi, cuius Fast. V, 54 haec sunt verba:

— — curvae scita Thalia lyrae;

at opponi Ovidio Propertius poterit I, 2, qui idem inventum Calliopae  
tribuit:

Cum tibi praesertim Phoebus sua carmina donec

Aoniamque lubens Calliopea lyram:

poterit dein opponi Horatius, qui Clius existimat esse, non modo tibia,  
sed etiam lyra, canere I od. 12:

Quem virum aut herosa lyra vel acri

Tibia sumes celebrare Clio?

A 2

pote-

poterit denique Horatius et Ovidio opponi, et Horatio ipsi, quippe qui, quam lyram seu citharam esse Clius modo dixerat, eandem esse Calliopes dicit III od. 4:

Descende coelo, et dic, age, tibia,  
Regina, longum, Calliope, melos;  
Seu voce nunc mavis acuta,  
Seu fidibus citharave Phoebi.

Verum, abduc animum a Clio, a Thalia et Calliope, et ad Erato transfer. Hanc Petronius Afranius, hanc Aufonius, psallendi arte excellere tradunt. In Anthologiae opere I. c. εἰς ποιητὰς, nescio quis, eandem dicit hymnorum sacrorum inventricem:

Ἕρως ἀθανάτων Ἐρατῶ πολυτερπέας ἔυρεν.

Virgilius denique, expositurus antiquum Latii statum, Erato invocatur, invocatur fortasse Clio, si eorum sententiam probasset, qui Clio historicae artis praesidem faciunt. Ut igitur explanatores Virgilio rationem reddant, cur Erato potius, quam Clio, invocetur, duplicem viam ineunt. Alii sumunt, Erato versibus amatoriiis praeesse, et, quum origo bellorum, de quibus exponere poeta aggrediatur, sit amor Turni Aeneaeque in Laviniam, recte Musam, ab amore nominatam, invocari. Sed haec explicatio tantum abest, ut pugnam Virgilio cum reliquis poetis dirimat, ut litem lite potius resolvat. Itaque Servius aliam ingreditur viam, et Erato a Virgilio poni pro quacunque Musa scribit. Quae explicatio si probabilis esse iudicatur, quam sit accommodata ad excusandos omnes poetas, qui munera Musarum et inventa non satis distingunt, quivis videt. Sed quivis videt etiam hoc, quam parum auxilii poetarum ratio adferat his, qui cupiditate aliqua ad inventa cuiusque Musae propria cognoscenda feruntur. Videamus, an plus auxilii expectare liceat ab aliis veterum monumentis, a marmoribus, a numis, a picturis. Neque enim cuiquam in mentem veniet dubitare, an huius generis monumenta multis rebus satis obscuris aliquid lucis adferant. Quid menti nostrae, quid ipsis oculis, quam eam, clarius subiicit, quae forma fuerit bullae, quid sit capistrum tibicinum, quid aplustre, quid labarum? Fortasse igitur illa monumenta et hanc nobis utilitatem praestabunt, ut Musarum alias ab aliis fecernere, et quemadmodum Neptunum ex fuscina, Liberum ex thyrso, Herculem ex clava agnoscimus, ita novem illas sorores, aliam ex alio insigni, agnoscere queamus.

Reper-

Repertum est superiore seculo marmor antiquum, quod apotheosin Homeri exhibet, in agro Ferentino, quod aeri incisum primus descripsit et interpretatus est in Latio veteri et novo Athanasius Kircherus, postea in *Apotheosi vel Consecratione Homeri* Gisb. Cuperus. Repetitur idem in *editione nova Feithii Antiquitatum Homericarum*, sed nulla addita interpretatione. Neque Wetstenius praetereundus est, qui idem monumentum explicuit in *dissertatione de Scriptis Homeri*; neque Io. Carolus Schottus in *nova explicatione Consecrationis Homeri*. Qui Cuperum sequuntur, videre sibi in eo marmore videntur Homerum Olympi vertici insidentem tanquam Deum, et non secus ac Iovem ipsum Musis stipatum, quae Homeri, tanquam alterius parentis artiumque pulcherrimarum auctoris, animum auresque dulci vocum citharaeque concentu mulceant. Sed quanquam artificis manus expressisse Musas videtur omnes, vix tamen liber es a periculo aliam cum alia confundendi. Iudice enim Cupero ipso, praeterquam quod sibi parum constant veteres in Musarum inventis, etiam paucissimae Musae aliquo insigni a se invicem in marmore sunt distinctae. Prima earum esse Calliope putatur, non aliam ob causam, quam quia *προΦερεσάτη* Hesiodo, Regina Horatio, vocatur, et quia se nutritivisse Homerum ipsa apud poetam anonymum Anthol. IV, 12 profitetur, et denique, quia carminis heroici fertur inventrix. Sed esto, primam Musam recte hoc quidem loco Calliopen dici, qua ex nota eam agnosces, quum alibi, quum sola, occurrit? Secunda in marmore, quia Saltantis gestum imitatur, Erato esse videtur. Tertia duas tibias versus Homerum protendit, ideoque esse Euterpen verisimile est. Aliqua earum citharam pulsant, quam quo nomine appelles, vix reperies, quum cithara canendi peritiam alii Clio tribuant, alii Polyhymniae, alii Melpomenae. Denique est aliqua, quae digitum intendat in globum, quam timide et dubitanter Cuperus, ego fidenter, et pene citra errandi metum, Uraniam dixerim, utpote quam plurimi auctores, coeli motus scrutari et astra, uno ore testantur. Quae reliquarum quaeque sit, Cuperus quidem non audent definire, quum eo quidem iudice nullae notae appareant, per quas agnoscantur. Satis, opinor, quivis intelligit, istud marmor hoc habere, ut aliquas easque paucas Musas agnoscamus, minime hoc, ut omnes. Veniamus ad numos.

Fulvius Nobilior quum A. V. C. DLXV Aetolos subegisset, ex Ambracia oppido signa omnium Camenarum Romam translata in aede Herculis Musarum, seu Herculis Musagetae, consecravit, auctore Eumenio in oratione de scholis instaurandis. In cuius rei memoriam Q. Pomponius Rufus denarios cudendos curavit, in quibus Musae, cum suo quae-

que Symbolo, conspicerentur. Hos denarios post Fulvium Ursinum exhibent Vaillantius et Begerus, inter gentis Pomponiae numos. Producit eosdem Souchay ad Ausonii Idyll. XX. Iudice Vaillantio in primo denario est Calliope, volumen manu tenens: in secundo Clio, citharam pulsans columnae incumbentem: in tertio Urania, globum coelestem tripodis impositum seu monstrans seu volvens: in quarto Erato, tibiam geminam, vel, ut non nemo voluit, duo plectra tenens, dextro cubito columnae imposito, sinistra mentum tangens: in quinto Terpsichore, tenens utraque manu fistulam calamis compactam: in sexto Euterpe bifrons, et virili facie et feminea conspicua, personam tragicam sinistra, dextra autem clavam, habens, cubito columnae innitente: in octavo Melpomene, percutiens utraque citharam, vel barbiton columnae impositam: in nono denique Polymnia seu Polyhymnia, quae pedem videtur paululum attollere, dextraeque digitos extendere, laeva lyram gerit. Ita exhibet eos numos Vaillantius, quorum ordinem paulisper mutavit Begerus, qui non modo unam praetermisit, sed in nonnullis etiam a Vaillantio dissentit. Quam Musam exempli causa tragoediae inventricem scribit Vaillantius, ea invenisse comoediam dicitur Begero. Male. Qui norunt, quae differentia personae tragicae sit et comicae, illi haud gravatim Vaillantio subscribent potius, quam Begero. Sed quaecunque de Musarum insignibus aut Cuperus, aut Vaillantius, aut alii tradidere, illis picturae quaedam veteres aut adstruere auctoritatem videntur, aut derogare. Ad eas nunc veniamus.

Pauci erunt, quos fugiat, aliquot ante annos picturas antiquas ex Herculano, et vicinis locis erutas atque in aes incisas, auspicio et iussu Caroli, Hispaniarum et Indiarum regis, edi coeptas esse. Earum picturarum Tomus secundus prodiit Neapoli a. 1760. Ex illis primum sub aspectum cadunt novem, quae Apollinem Musagetem cunctasque Musas exhibent, praeter Euterpen, cuius imaginem casus aliquis ita abolevit, ut nihil, quod manus pictoris imitaretur, relictum fuerit. Ista picturae primum hoc habent, ut octo Musas, cum suo quamque symbolo, oculis subiiciant. Deinde visum pictori est, ἀσφαλεία intuentium consulere volenti, Musarum omnium nomina picturis adiicere, praeterquam Uraniae, satis gnaro, non modo nonnullarum insignia fere esse eadem, verum etiam auctores veteres in assignando cuique Musae Symbolo mirum in modum variare, incertumque relinquere id, ex quo quaeque Musa agnosci debeat. Primum igitur locum Clio occupat, dextra volumen tenens, in quo verba scripta sunt: ΚΑΕΙΩ. ΙCΤΟΡΙΑΝ, nempe ἑλληχε vel εὐρε. Clio sequitur Thalia, dextra praeferens pedum, sinistra personam comicam.

cam. Infra Musam scriptum est: ΘΑΛΕΙΑ. ΚΩΜΟΔΙΑΝ, in quibus verbis inter maiusculas literas minuscula ω, et praeterea ο pro ω positum est. Tertia est Melpomene, in cuius dextra est clava, in sinistra persona tragica. Subter Musam leguntur verba: ΜΕΛΠΟΜΕΝΗ. ΤΡΑΓΩΔΙΑΝ. Post Melpomenen oculi incidunt in Terpsichoren, quae sinistra tenet lyram, dextra eandem pulsat. Additum est: ΤΕΡΨΙΧΟΡΗ. ΛΥΡΑΝ. Quintum locum tenet Erato, quae sinistra tenet instrumentum musicum novem chordarum, quod psalterium recte fortasse dixeris, id quod simul digitis dextrae, simul plectro, tangere videtur. Ei adiecta verba sunt: ΕΡΑΤΩ. ΨΑΛΤΡΙΑΝ. Quo loco ψαλτρίαν positum est aut pro ψαλτικήν, ut sit nomen artis, aut pro ψαλτήριον, ut sit nomen instrumenti, quae utraque significatio nec analogiae nec usui satis consentanea est: aut pictor, mutato stilo in reliquis adhibito, subaudiendum putavit *ἰποκρίνεται* i. e. Erato psalterium agit: aut scribere voluit ψάλτριον, quod vocabulum pro psalterio positum apud Ciceronem occurrit de Arusp. Respons. c. 21. Sed progrediamur ad sextam, nempe ad Polymniam. Haec indicem dextrae ori admovet, nec instrumento aliquo, nec alia re ulla, praeterquam hoc gestu, insignis. Addidit pictor: ΠΟΛΥΜΝΙΑ. ΜΥΘΟΥΣ. Reliquae sunt duae, Urania et Calliope, quarum illa ex Musis omnibus sola est, cuius nec nomen adponendum curavit pictor, nec artem, quam profitetur. Sinistra tenet sphaeram, dextra baculum, seu radium, quem in sphaeram protendit, quasi monstratura, quae in ea delineata sunt. Non stans picta est, sed sellae insidens insolitae structurae. Neque enim indignum, in quod mentem cogitationemque convertas, ex novem Musis duas duntaxat sedentes repraesentari, Clio et Uraniam, hoc est, eas, quae artibus praesunt, ad quas tractandas meditatione studioque opus est. Docti picturarum Herculanensium interpretes observant, quum citra controversiam Urania sit astronomiae praeses, pictorem et nomen Musae et artem omisisse, omisurum fortasse reliquarum etiam Musarum nomina, si aequae certum esset, et extra controversiam positum, cui arti quaeque earum praesuerit. Nonnullis eorum in mentem venit suspicari, artificem eandem ob causam omisisse nomen Musae, quae manu teneat uranon, seu globum coelestem, ob quam Cicero, teste Plutarcho Apophth. p. 214. E, poculo aureo Diis dicato praenomen suum nomenque literis insculpserit, cognomen autem cicere caelato indicarit. Denique octava et ultima est Calliope, quae caput coronata est hedera, manibusque volumen tenet. Eius pedibus subiecta legitur inscriptio: ΚΑΛΛΙΟΠΗ. ΠΟΙΗΜΑ. Tribuitur ergo Calliope *ποίημα*, quo vocabulo non qualiscunque poësis, sed poësis heroica, intel-

intel-

intelligenda videtur, et forte epos, ut Horatius loquitur I Sat. X, 43. Coronatur porro haec Musa hedera, quam multorum consentiens vox poetarum velut propriam facit, Calliopae autem diserte Ovidius tribuit Fast. V, 75. Met. V, 338. Iam fac, Herculanensis artificis stari iudicio posse: et fieri poterit, quod antea difficile erat, ut Musae omnes, ex suo quaeque symbolo, agnoscantur, si a duabus discesseris, a Clio et Caliope, quae ambae volumine, quod manu tenent, insignes, et hoc nomine tam similes inter se reperiuntur, ut discerni non possint. Sed, in hac tanta similitudine utriusque Musae, quandam etiam dissimilitudinem exprimere artificis manus tentavit. Clio lauro coronata est, hedera Calliope: Clio sedentis habitu efficta est, Calliope stantis: Calliopes liber in cylindri modum est convolutus, Clius autem ex parte explicitus et apertus: Caliope ita tenet volumen, ut ne oculos quidem conicere in illud videatur, Clio legendo libro intenta est, gestumque legentis imitatur.

Superfunt aliquot carmina tam graeca, quam latina, quibus poetae fere ignoti munera Musarum inventaque persequuntur. Ea partim Anthologiae graecae opus exhibet, partim Anthologiae Burmannianae. Huic p. 51 insertum legitur carmen, ab aliis Virgilio, Ausonio ab aliis, adiudicatum, quod carmen picturis Herculanensibus ita respondet, ita cum illis consentit, ut aut poeta huiusmodi picturas ante oculos habuisse videatur, aut Herculanensis artifex tale carmen; id quod picturas cum carmine comparantibus facile erit animadvertere. *Dixeris, prorsus eadem, quae poetae calamus vel stilus expressit, pictoris penicillo expressa esse.* Carmen illud etiam inter Catalecta Virgilii, et apud Ausonium Idyll. XX, vulgatur. Picturae igitur Herculanenses mirum in modum faciunt ad carmen illud seu Virgilii seu Ausonii illustrandum, immo ad Apotheosin Homericam, et ad numos gentis Pomponiae recte explicandos. Quae verba unicuique Musarum pictoris manus adscripsit, ea aut nihil habent obscuritatis, aut, si qua in obscuro posita sunt, his partim lucis aliquid adfundere iam conati sumus, partim nunc, adhibitis doctissimorum interpretum Herculanensium explanationibus, adfundemus. Polyhymniae imagini addita sunt haec: *Πολύμνια μύθης*: quae, quaeso, quam vim habent? Comparemus haec verba cum ipsa Polymniae pictura. Haec Musa ita picta est, ut manus indicem admoveat ori. Iam vero digitum ori admotum indicare silentium, multa sunt, quae doceant. Docet Harpocrates, Deus ille silentii, qui, quoties in veterum monumentis occurrit, toties fere manum admoveat ori cernitur: docet Angerona, quae et ipsa digito ad os admoto silentium denunciat, apud Macrobius Sat. III, 9. Docent haeretici quidam Pattalorhynchitae, quos constat fileu-



filentio studuisse, nec tantum digitis, sed et paxillis, labia et nares compressisse, de quibus Philastrius, et Cuperus in Harpocrate p. 27. Docet denique mos veterum recentiorumque, silentium protensa dextra imperandi, de quo Casaub. ad Persium III, 6. Quum igitur hic gestus, gestusque huius significatus, sit omnibus notus: artifex unum quidem, eumque vulgatissimum, gestum expressit, at omnes gestus, omnes manuum et totius corporis motus, intelligi voluit. Quid multa? ex mente pictoris Polymnia est chironomiae praeses et inventrix, nempe illius artis, cuius est recte uti manibus, totiusque corporis motu. Atque ita non discessit pictor a sententia poetae, quocum semper consentit:

Signat cuncta manu, loquitur Polyhymnia gestu.

Neque ab hac quenquam sententia dimovebunt illi, qui hanc artem priscis temporibus ignotam, imperante demum Augusto, auctoribus Pylade et Bathyllo, in urbem inventam putant. Chironomiam enim ab ipsis temporibus heroicis ortam, scribit Quintilianus I, 2. Addit, fuisse a summis Graeciae viris et ab ipso etiam Socrate probatam, a Platone quoque in parte civilium positam virtutum, nec a Chrysippo, in praeceptis de liberorum educatione compositis, omissam. Accedit testimonium Xenophontis in Symposio c. II, ubi Charmides, *ὡρχήμην μὲν οὐ, ἐχειρονόμην δέ.* Quid plura? Antiquiorem esse Augusti seculo *χειροσοφίαν* istam, et inde usque a vetustissimis temporibus notos fuisse saltatores et histriones, qui actiones et perturbationes moresque hominum sola gesticationis numerosae varietate exprimerent, demonstravit Nic. Calliachus de ludis scenicis mimorum et pantomimorum cap. IX. Nec tamen negaverim, eandem artem ingentia, et, quae prope fidem excedant, incrementa Augusti aetate et Neronis cepisse, eamque ad tantum fastigium provectam esse, ut non modo facta dictaque cuiusvis hominis, sed etiam integrae fabulae, nec cantico ullo, nec musico instrumento praecinente, solo gestu, motuque corporis vario, ac nutu, tam evidentem oculis spectatorum subiicerentur, ut a quovis intelligerentur. Quumque histriones potissimum antiquas fabulas a poetis epicis, tragicis, comicis compositas saltare solerent, fabulas potissimum de diis vulgo satis cognitae; quumque idcirco Lucianus a saltatore nihil quicquam eorum ignorari velit, quae vel ab Homero vel Hesiodo, vel aliis poetis melioribus, praecipue tragicis, scripta sunt: hinc apparere dicunt doctissimi interpretes Herculanenses, cur Polymniae pictor tribuerit *μύθους*. Ceterum, quia haec Musa gestu omnia significat, et omnia quasi tacendo dicit, iidem interpretes sententiam Havercampii probandam ducunt, cui Polymnia est eadem, quae Numae Tacita, de qua sic Plutarchus in Numa p. 65: *Καὶ μίαν Μῦσαν ἰδίως καὶ διαφερόντως ἐδίδαξε σέβασθαι τῆς Ῥωμαίης, Τακίταν προσαγορεύσας, ὅτιον σιωπηλήν*

B

σιωπηλήν

στωπηλὴν ἢ νέαν. Sed viderint, quomodo se defendant adversus eos, qui Tacitam illam Numae esse Numen Romanorum proprium, cum aliunde, tum ex ipsis Plutarchi verbis, colligunt, neque aliud esse putant, quam Mutam, quae et Lara et Larunda, a nonnullis etiam Mania, dicitur. Plutarchus Tacitam illam appellat *Μῦσαν νέαν Musam novam*: Sed qui, quaeso, *nova* dici potest, si Tacita eadem, quae Polymnia? Sustuleris tamen hanc difficultatem, corrigendo apud Plutarchum unam voculam, et pro νέαν substituendo ἐνεάν i. e. mutam.

Satis de insignibus Musarum, quae in picturis Herculanensibus etiam vestibus cultuque corporis distinguntur: Sed, quum in amictu Musis dando suo ingenio potius obsequutus videatur pictor, quam vel veritati vel verisimilitudini, eum inter insignia referre non placet. Rectene autem faciant, an secus, qui Musis cultum iusto mundiorem tribuunt, dubitari videtur posse. Deae enim severiores, et laudem castitatis appetentes, fere simplices solent esse munditiis, ut Minerva, ut Diana, ut forsitan aliae. Nihilominus Herculanensis artifex et Clius, et aliarum nonnullarum ex Musis, cultum esse voluit exquisitiorem. Tribuit illis fimbriatas vestes, in aures, armillasque, illis, inquam, quarum severitas, castitas, ac perpetua virginitas tantopere celebratur. Cui enim non dictae, cui non auditae, Musae semper virgines? Monent tamen eruditissimi picturarum interpretes, dubium esse controversumque, quod de perpetua Musarum virginitate aliqui tradiderint. *Hanc novam illis sororibus diserte tribuit Diodorus Siculus IV, 7.* Lucianus vero Dial. Deorum XIX castitatis earum ipsum Cupidinem testem producit. Accedit incerti auctoris epigramma in opere Anthologiae I, 7, ubi minanti Veneri, se Cupidinem adversus Musas armaturam, nostra virtus, illae respondent, ab armis insidiisque Cupidinis satis tuta est. Fuit, qui festivam perpetuae huius virginitatis rationem redditurus diceret, doctas illas virgines semper fuisse tam pauperculas, ut nemo inveniretur, qui ducere eas vellet dote cassas. Verum, quantacunque sunt doctarum illarum virginum decora, multis tamen vix erit credibile, eas castitatis laudem semper servasse illaesam. Nihil dicam de ludicris Musarum artibus, nihil de histrionia, de arte comica et tragica, quae artes utique et historias habent et fabulas, quae peccare doceant: nihil de arte earum musica, cuius non modo feruntur esse modi aliqui graves et religiosi, sed etiam molliores, qui lascivientibus sonis et vocibus, tanquam venenata quadam dulcedine, facile animos corrumpant: nihil denique de saltationibus earum et choreis, quibus sunt non spernendi auctores, qui pudicitiam existiment, si non expugnari, tamen saepe oppugnari. Non addam, esse, qui ipsam Thalamiam a lascivia et obscenitate sermonum non abhorreere testentur:

Comies

Praeterquam enim quod non semper est ἦθος χαρμηκτῆς ὁ λόγος, fieri-  
que potest, ut, quae lascive inverecundeque dicat aliquid, nihil agat  
lascive inverecundeque: nollem lascivum sermonem apud poetam inter-  
pretari obscenum, quia lascivia non modo eorum est, qui ad voluptatem  
Veneream laeessunt, sed etiam, qui ad innocuam hilaritatem, ad conces-  
sum risum et iocum. Quid? quod saepe et lascivia et luxuria nihil est aliud,  
quam nimia quaedam in dicendo fecunditas et copia. Neque denique  
illud monebo, fingi Musas, si non omnes, tamen aliquas, ea pulchritudine  
esse, eaque facie, quae lubrica sit adspici etiam continentioribus; porro  
easdem Musas ferri comites et socias non modo Apollinis, sed et Liberi  
et Herculis, hoc est, deorum multo petulantiorum, quam ut in societate  
eorum et comitatu Musarum pudor satis esse potuisse tectus videatur.  
Illud unum urgebo, quod Wesselingius monet ad Diodorum IV, 7, vix  
ullam in novenario Musarum numero reperiri, e qua non aliquis furtivis  
amoribus conceptus legatur, quorum multos nominet Eustathius in  
Homerum *Il.* v. 435, plures Tzetzes ad Hesiodi *E.* princip.. Nonnullo-  
rum etiam mentionem facit Apollodorus I, 3. Omnium Musarum filios  
exhibet etiam praefatio Dosithei ad Hygini Genealogiae particulam in  
*Observ. Misc.* T. IX p. 420, excepta Thalia sola, cuius tamen filios  
Apollodorus I, 7 dicit Corybantas, Eustathius Palaephatum, Tzetzes  
vero et Corybantas et Palaephatum, si Heinsium sequare, quae apud Tze-  
tzen vitiosa sunt, emendantem. Barnesius ad Rhesum Euripidis v. 348  
octo Musarum filios enumerat, ac tandem addit: *Sola adhuc Urania virgo*  
*est.* Fallitur Barnesius. Misit et Urania amplexus suos in aliquem, qui  
aut amaret, aut amaretur. Et Tzetzes, et Dositheus, et Hyginus f. 161  
Uraniae Apollinisque filium dicunt Linum: Catullus LX Uraniae filium  
Hymenaeum putat, a quo tamen dissentiunt Alciphron et Proclus, qui  
Hymenaeum Terpsichora natum dicunt. Vere igitur Propertius dixisse  
videtur, Cynthiam suam ne Musis quidem ruborem expressuram, si inter  
eas venerit II, 23. 29:

Nec tu virginibus reverentia moveris ora:

Hic quoque non nescit, quid sit amare, chorus.

Sed, qui Musarum filios enumerant, et qui easdem servasse virginita-  
tem illibatam dicunt, horum sententias specie esse pugnantes, sibi que con-  
trarias, non re, nonnulli literatorum principes statuunt. Qui Musas  
*ἀειπαρθένους*, aut *παρθένους ἀειθαλεῖς*, dicunt, non fortasse ignorant, Musis esse  
suos filios, sed interpretantur eos non proprie sic dictos filios, sed allego-  
rice. Iudice Hemsterhusio ad Luciani *Dial. Deor.* XIX: *Si usquam alias*  
*in fabulis antiquis, hic certe advocandum est, cuius cunei ope durissima quaeque*  
*levi negotio perumpas, explanationis allegoricae remedium, ut tantum dedecus*

a choro dilectissimarum virginum amoveamus. Quin ergo in usum nostrum hic convertimus, quod iam Eustathius ad Homer. Ιλ α. p. 18 observavit: οἷς μὲν τὸ εὐγενὲς καὶ βασιλικὸν αἰκρῶς ἐνέπρεπεν, ἐκ Διὸς τούτους ἐποίησεν κατὰ γένει τὸ γένος ὅις δὲ λόγος ἐνέλαμπεν, Ἑρμῆς τούτοις ἐξελαλεῖτο πατὴρ -- ὁ μουσικὸς ἀρχων, εἶτε καὶ μαντικὸς καὶ ἰατρικὸς, Ἀπόλλωνι παῖς ἐπεγράφετο — — — — τοὺς ὠδικὰς ἢ τοὶ ποιητικὰς Καλλιόπῃ ἢ Τερψιχόρῃ παιδοποιησαμένη ἦγεν εἰς Φράτορας. Quin probamus, quin calculo nostro dignamur, quae annotavit August. van Straveren ad auctores mythographos latinos p. 14, nempe Sirenas Musarum filias eadem de causa nuncupatas, qua Linus Appollinis filius dicitur, qua Hymenaeus, Ialemus et Orpheus, Appollinis et Calliopes filii. Quicumque ergo vel canendi peritia vel carminis pangendi excelleret, is Musarum, ac modo Calliopes, modo Terpsichores etc. filius dicebatur.

Quodsi desperarem huius explicationis allegoricae remedio, me non valem Camenis perpetuae virginitatis decus asserere posse, memor eorum, quae de Clio tradit Apollodorus I, 3. §. 3, non equidem pugnandum mihi cum poeta existimarem, qui hanc sententiam pronunciavit:

— — Nulla reparabilis arte  
Laesa pudicitia est: deperit illa semel.

neque fingerem, aditum ad Canathum fontem Musis aequae, ac Iunoni, patuisse, quam virginitatis amissae damna reparasse quotannis ferunt lavantem in eo fonte, Pausan. II, 38 p. 201: non tamen in eas augustias mihi compulsus viderer, ut aut his, qui Musas virgines, aut his, qui easdem matres, dictitant, dicam esse impingendam arbitrarer. Fert hoc et latini et graeci sermonis ingenium et usus, ut virgines dicantur nuptae, etiam quae pepererunt. Virginis nomen non est semper integritatis, sed saepe viridioris aetatis. v. Servius ad Virgil. Ecl. VI. Cuius vocabuli hanc vim esse docent plures, praecipue Broukhusius ad Propert. IV, XI, 52: Drackenborch, ad Sil. III, 435: Grotius ad Matthaeum I, 23.

Postquam per ista prolusum est, indicandum restat, constituisse orationunculas publice recitare aliquot iuvenes, qui nonnullas Musarum artes in Schola Thomana non sine aliqua laude coluerunt, simulque erga Scholae huius nutritores et patronos pietatis suae documenta gratiis agendis dare. Horum nomina sunt:

IO. CHRISTOPHORVS PFENNIG, *Saliffens. Thuring*

IO. HENRICUS KVTNERVS, *Pliffa Misn*

HENRICVS SIGFRID BVRMANNVS, *Mutscha Misn*

AVGVSTVS GVILIELMVS EPPENDORFERVS, *Geringswalda Misn*

CHRISTIAN. GOTLOB KLEINIVS, *Leisnicensis Misn*

IO. GODOFREDVS STEINIVS, *Belzicensis Saxo.*

Hos ad audiendos, ut rei scholasticae patroni ac fautores frequentes convenire dignentur, quantum precibus, quantum observantia, possumus, etiam atque etiam rogamus.

*Antiqu. Graec. 181, 34.*